MELIBOEVS
THOMAE WATSONI

Siuè,


ECLOGA IN OBITUM
HONORATISSIMI VIRI,
Domini Francisci VValsinghami, Equitis
aurati, Diuæ ELIZABETHÆ a se-
cretis, & sanctioribus consilijs.

Hen. Johnes

19.



LONDINI,
Excudebat Robertus Robinsonus.
M. D. Lxxxx.





GENEROSISSIMO VIRO Thomæ VValsinghamo Armigero,

laudatissimo virtutis & litterarum assertori

Tho. VVatsonus


S. D.



D risum faciles soleo cantare Napæas,
Et spumagenitæ furta iocosa Deæ,
Et lætas gelida Charites Nymphasq; sub vmbra,
Et mistos ioculis, illecebrisq; sales:
Sed noua iam rerum facies ad seria suadet,
Et sonat illepida nostra Thalia fide.
Inuitos necto numeros, gemituq; resoluor
In tristes Elegos, funereumq; melos.
Nec solus fundo lacrymas: gemit Anglia tota,
Et luget laceris vndiquè sparsa comis.

O Magnus enim (proh fata) idem Franciscus
Arcadiæ nostræ qui Melibœus erat: (obiuit,
Et mihi subtristes qui (te mediante) procellas
Depulit, hyberno vela ferente Noto.
Officio iubeor miserandos ædere questus,
Et lacrymis lacrymas accumulare tuis.
Tu clemens dignare pias audire querelas:
Dumquè ego sum Corydon, Tityrus esse voli.
Ereptum nobis Melibœum flebimus ambo:
Flebimus, vt raptum fleuit amicus Hylam.

Dignitatis tuæ studiosus
Thomas Watsonus.





ECLOGA

IN OBITVM

HONORATISSIMI VIRI, Domini Francisci VValsinghami, Equitis aurati, Diuæ ELIZABETHÆ a secretis, *& sanctioribus consilijs.*

Corydon. Tityrus.



Ityre, iam quoniam prati per amœna vireta
Sparguntur pecudes, & nos consedimus ambo,
Huius (si quid amas) effare sub arboris umbra,
Quæ noua sollicitos apportent fata dolores:
Cur tua cum molli Zephyro suspiria pugnant,
Atq; serenato minitantur prælia cælo,
Qui tenuem placida Musam meditatus auena,
Demulcere soles ventos in bella paratos?
Squalida quid sibj vult curarum conscia vestis?
Pectore cur singultus inest? cur lumine fletus?
Quìd sedet in vultu macies? quìd in ore querela?

Dic age; mœrorem sit fas lenire monendo,
Aut saltèm lacrymis nostros connectere planctus:
Non leuis est, luctus socios habuisse, voluptas.

Tityrus.

O Corydon, Corydon, noli perquirere causas
Altiùs, & dirum fando renouare dolorem:
Triste recrudescet blando tantamine vulnus,
Nullaq; lugentem comitum lamenta iuuabunt:
Immedicabilibus morbis adhibere medelam
Desine: solus ego per syluas luce carentes,
Solus ego miseræ flens infortunia vitæ,
Ut viduus turtur, putri de vimine questus
Cœlorum contra crudelia sydera fundam.

Corydon.

Te per ego trinas Charites, hilaresq; Napæas,
Quæ totiés choreas istos duxére per agros:
Per pictum Floræ strophium, Cererisq; coronam:
Per Satyros, Panes, Fauni venerabile numen:
Per vitreas Thamesis lymphas: per lustra Dianę,
Seu mauis, ipsum per sacræ nomen Elisæ:
Deniquè per florem mutati nuper Amyntæ,
Sanguineum florem, synceri pignus amoris,
Obtestor, cæcum nè celes pectore vulnus.
Pande, precor, tanti quæ sit tibi causa doloris.
Qui tecum risu sub verno sole fruebar,
Nubila nùnc hyemis plorabo tempora tecum:
Una duobus erit sors, & mens vna duobus.

Tityrus

Tityrus.

Inuitum taciti mœroris prodere fontes
Supplicibus votis, & amico fœdere cogis.
Accipe, quod fari gemitus permittet acerbus:
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Ergò, si quid habes Corydon (quià te quoq; vatem
Dicimus Arcadici) numerosos incipe luctus:
Anxia namquè mihi sistunt suspiria linguam.

Corydon.

Incipio: mecum Diuæ lugete Camænæ,
Et tu laurigeri collis regnator Apollo.
Pegaseas ripas lacrymarum flumen inundet:
Munere Musarum pennis induta nigellis
Euolitent latè totum lamenta per orbem.
Nos etiàm, quamuìs luna stellisq; priores
Arcades, astricolis & gens charissima Diuis,
Obliti solitæ pietatis, murmure rauco
Gyrantes flammas alti culpemus Olimpi.
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Tantænè insidunt animis cœlestibus iræ,
Ut neq; præcipui pastoris candida virtus;
Nec prudens rebus solertia parta gerendis;
Nec pectus varia suffultum Palladis arte;
Nec suauem referens facundia docta Periclem;
Nec pius & patriæ tutandæ feruidus ardor;
Nec vigil in nostræ Dictynnæ cura salutem;
Nec magni tituli, seriesq; & splendor auorum;

Nec res innumeræ, quarum fulgebat honore,
Saturni possent frontem pacare malignam,
Et nocuum Lunæ frigus, Martisq; calorem?
O rigidos ignes, ô exitiabile cœlum:
Ante diem (proh fata) diē Melibœus obiuit.
Attamen ô iusto mœrori parcite cæli;
Quæ non credideram, miseræ defectio mentis
Impulit, & pietas, & adurens æstus amoris.
Ah pudet, inq; Deos prauè piget esse loquutum:
Crimine Parcarum cecidit, non crimine vestro.
O æterne parens, nutu qui nubila cogis,
Et fixi rutilos, mundiq; rotatilis ignes
Officio seruire iubes, terramq; fouere
Mobilibus radijs; dirarum facta sororum
Inspice, quæ nusq̄ virtuti parcere norunt:
Supplicijs cohibe duris, & vindice pœna.
Noster enim Pastor, nondum poscente senecta,
Ante diem (proh fata) diē Melibœus obiuit.
Sin maiora precor q̄ sit mortalibus æquum,
Hoc tamen, hoc vnum misero concede petenti:
Ille Deus nostri certissima gloria ruris,
Qui tua legatus rectè mandata facessit,
In furuos lapsus thalamos Iunonis Auernę,
Immites Parcas rapidi Phlegetontis ad undam
Increpet, & iubeat pastorum absistere fatis,
Tam propero quoniam deuoluunt stamina fuso.
Posthac æthereæ cælorum fiat in arce

Illud

Illud opus, dignum Superis. Quid Noctis alumnæ,
Atq; Erebi possunt, q̃ candida rumpere fila?
Morta rosam piceo vernantem corripit ungue:
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Inuidet (heu) summis pastoribus improba Morta.
Astrophilum pridem rapuit vitalibus auris,
Delicias Melibœe tuas, Hyalesq; maritum
Candidulę nymphæ pulchrum, dùm fata sinebant.
Cùm Pyrenæis leo descendisset Iberus
Montibus, & cursu longinqua per æquora vectus,
Belgarum tandem violens armenta voraret:
Astrophilus ferro cinctus, sudibusq; præustis,
Finibus erupit nostris, validoq; furentem
Marte lacessiuit, solo virtutis amore.
Cætera nè dicam, lacrymæ, gemitusq; fatigant.
Ad socerum redeo. Generi certamina lugens
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Dicite nunc socij, si dicere fortè potestis,
Quis vice defuncti crescentes aggere claudet
Montoso riuos, nè pascua picta pererrent?
Quis fossa torrentis aquas prohibebit agello,
Nè simùl & lætas messes, & pinguia latè
Deuastent culta, heù miseris ploranda colonis?
Quis pice languiduli scabiem curabit ouilis,
Aut alios vario subeuntes corpore morbos
Tollet, & immundum mersabit flumine vellus?
Quis molles pratis agnos, agnos trepidantes,

Et teneros celsis imponet montibus hædos,
Nocteq; sub prima saturos in tecta reducet?
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Quis presso vacuam tellurem findet aratro,
Pinguia diuiduis ut sulcis semina mandet,
Et glebis subigat dentata crate solutis?
Quis metet, & vinctas stridētibus undiqué plau-
Exportabit agro, ponetq; sub horrea fruges, (stris
Sirius urenti spicas ubi coxerit astro?
Quis positis minuet pastorum iurgia saxis,
Consilioq; feras lites, priuataq; bella
Molliet eloquio, dum quisque aliena subintrat
Arua, nec assueto dignatur limite stringi?
Publica quis vidui curabit commoda ruris?
Seria quis ludis miscebit, & utile dulci?
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.

Tityrus.

Sæpe meis olim placuit tua stridula canna
Auribus, ad Parios quandó cantabat olores,
Sequana diuisam quà fluctibus alluit urbem,
Fœlicem, licito si regi seruiat, urbem.
Tùm tua cordatis (memini) iuuenilia plectra
Perplacuere viris, vpupisq; es visus hyrundo.
At nunc ô Corydon, quantùm mutaris ab illo
Tempore? prima nouis superatur Musa querelis;
Dumq; pio mortem Melibæi carmine deflles,
Arcadiæ toti dulcis philomela videris.

Atta-

Attamen ut lasso sit respirare facultas,
Raucus ego cœptos augebo carmine cantus.
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Infœlix misero canitur dum nænia versu,
ô quotquot primæua parens animantia terris
Indidit, aut gelido ponto, cæloq; patenti,
Omnia nunc simul ad mestos concurrite planctus;
Vt pulchella meas mundi totius imago
Testetur lacrymas, atq; illætabile murmur.
Primùm signifero magnus quas fixit in orbe
Arbiter, ô mecum cunctæ lugete figuræ.
Carcinus *ardorem lacrymoso temperet imbre:*
Æstiuusq; Leo *rugitibus impleat auram:*
Et nolit saltare Aries*: fletumq; perennem*
Amphora *distillet: quid enim nisi flere potestis?*
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Libra *diem tepido non æquet sydere nocti:*
Nam magis arridet tenebrosa dolentibus umbra,
Splendida q̄ lucis facies: lux consona lætis.
Vulneret Arcitenens *infectis cruda sagittis*
Numina Parcarum, *vt diro cruciata veneno,*
Horrendis trepidum turbent ululatibus Orcum.
Et piger inducat Capricornus *frigora brumæ*
Mansuræ, pluuias & Piscis *mutuet undas.*
Et feriat cornu Taurus; *caudaq; minaci*
Scorpius*: & nusq̄* Gemini *pereuntia fratres*
Carbasa sustentent. Tu denique candida Virgo

Vngue

Vngue genas lacera: quid enim nisi triste supersit?
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Lucentis porró sinuosa volumina cœli,
O simul ad nostras accedite singula curas:
Nē Superûm sedes, mundo lacrymante minori,
Diffluat in risum. Sed te Saturne *precari*
Nil opus ad luctum, quoniam nihil es nisi luctus:
Nàm mihi si vates pastorum maximus Orpheus
Veridicè motus, viresq; reclusit Olimpi,
Plumbeus & gelidus cyclum percurris auaro
Progressu, tardiq; premunt vestigia calcis
Tristities, gemitus, lacrymę, lamenta, dolores,
Deliræ tenebræ, terror, discordia, pallor,
Perdulces nobis comites in funere, quandô
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Tu verò celebris nymphæ Cretensis alumne,
Qui laudata tenes in lampade regna sequenti,
Exue nunc veteres animos ad gaudia promptos,
Atq; salutaris mutetur gratia stellæ,
Nec blanda virtute Deum compesce furentem.
Diffundant lites flammata palatia Martis
Pectus in humanum: nec, te miserante, cruenta
Sistatur cędes, aut frœnos perferat ira.
Auree Sol *mundo non amplius esto benignus:*
Quæq; *præis, sequerisq; (suo sed tempore) Solem,*
Soluare in lacrymas: Et tu charissime Stilbon
Opposito Phœbi lucem confunde galero;

Ante

Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Vltima mobilium sphærarum, sed mihi prima,
Dum varios mutata subis, fundisq; labores,
Luna *tuo nostros auge conamine questus.*
Desine furari Phœbo sua lumina, pennæ
Noctis ut obuelent densa caligine terram,
Deq; polo sperent solatia nulla misellì
Arcades, eximij Pastoris morte misellì.
Defectusq; tuæ doleant mortalia lucis
Omnia: subtimidi Reges, populiq; tremiscant,
Effigiem noctis quando sine nocte figuras.
Humorum tam larga tuo descendat ab ore
Copia, transiliant omnes ut marmora metas.
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Iamq; graues audi spirabilis aura querelas:
Et quæcunque tuus, spatio diffusus inani,
Continet amplexus, dignentur promere mecum
Funebre lamentum. Radijs ex æquore tracti
Humores, gemitu pulsi mutentur in imbrem.
Efficiant lacrymæ nubes, suspiria causas
Ventorum, varium discordia semina fulmen.
Rubræ pyramides, ardens candela, sagittæ
Accensæ, scintilla volans, ignita capella,
Idolum, grando, tonitru, stellæq; cadentes,
Cunctaq; quæ pando generantur in æthere, miræ
Desuper ad nostros cadant portenta dolores.
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.

 Nunc

Corydon.

Nunc mihi cessatum satis est: tu Tityre paulùm,
Dum positos iterùm tento depromere luctus,
Respira, grauibusq; modum concede querelis.
Alternis flentes vicibus cantabimus ambo,
Ceruicesq; iugo parili subdemus uterque.
Tu (fateor) grandi tetigisti magna cothurno,
Æthereos tractus numerans, orbisq; remoti
Virtutes. At humi tandem mea Musula serpet,
Ac humili texet nisi pastoralia cantu:
Est mea simplicitas rudibus contentà camœnis.
Attamen ô vtinàm sacro de fonte bibissem
Dignos perpetua Meliboei laude liquores,
Et solidas possem rupes mollire canendo:
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Omnia nunc istùc spaciosi Numina ruris
Accelerate gradus, viridiq; in cespite Diui
Cumbentes, sparsisq; genas humoribus alto
Defluxis cerebro, variato murmure nostras
(Nam vester Melibœus erat) fulcite camœnas.
Et cultæ Charites paulisper mittite lucos
Suauibus exhilarare sonis, aut sole sereno
Pectere flauentes per eburnea colla capillos.
Dulcis ad ascaulæ numeros non motibus usq̃
Saltetur leuibus: desistant ludere nymphis
Permisti Satyri: lacrymæ sint sola voluptas.
Ista nouos etenim deposcunt tempora mores:

Ante

Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
In syluis, exuta suis iam quælibet arbos
Frondibus, amissum doleat nudata virorem.
Iuniperi vernix exudet corpore secto,
Et spissi Myrrhæ fœcundo cortice rores.
In syluis corui crocitent, & bubo, Strygesq;,
Vulturiusq; gemant: strepitent sturni, graculiq;,
Vnisonas rudibus cuculis geminantibus odas.
Sed turdus, fringilla, rubella, & alauda, & Acanthis,
Et reliquæ taceant volucres, quæ dulce susurrant.
In syluis Vri, vulpes, vrsiq; lupiq;,
Et frendens aper, & catulis comitata leæna,
Vicinas feriant metuendis questibus auras:
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Iam viduis in agris segetes capita inclinate,
Nec tenuis grauidam spicam sustentet arista,
Agricola rapto, qui vos runcare solebat.
Iam viduis in agris teneræ marcescite vites,
Inq; nouo crescens moriatur palmite gemma,
Quandoquidem perijt, qui vinitor esse solebat.
Iam viduis in agris crudi putrescite fructus,
Castaneæ, pyra, pruna, nuces, & citrea mâla,
Insitor occubuit, mala qui castrare solebat.
Iam viduis ab agris pulchri discedite flores,
Lilia, narcissi, calthæ, violæq;, rosæq;,
Qui dudum noster topiarius esse solebat,
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.

O vidui ruris vepres, viburna, rubeta;
O valles, campi, montes; ô flebilis Eccho;
O quæ lugetis defunctum examina regem;
O fontes, riui, vada, flumina, stagna, paludes;
Tuq; côaxatrix ad crassas rana lacunas;
Et nymphæ gelidis habitantes antra sub undis
Saxea, sed molli semper viridantia musco;
O armenta, sues, & oues, ouiumq; magistri,
Infantes, pueri, iuuenesq;, viriq;, senesq;,
Matronæq; graues, nuptæ, innuptæq; puellæ,
Quotquot in Arcadia vitalem ducitis auram,
O simul, ô mecum miseros effundite questus:
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.

Tityrus.

Jsthæc mitte mihi: me, me magis ista decebunt,
Quem dolor augescens curis mordacibus urit.
Occidis ô dulcis Melibæe, ô patrue dulcis,
O pater, ô quid non? ô nostri gloria ruris
Mascula, firmatum Diuæ munimen Elisæ.
Sicut enim robor, vel quæ superminet ingens
Ornus, in excelsas dum surgit vertice nubes,
Perferat ipsa licèt violenti fulminis ictus,
Luctantesq; ruant venti circumq;, supraq;,
Perq; comas, perq; ora imber fluat, illa nec atro
Fulmine, nec vento luctante, nec imbre fatiscit:
Haud secus ille vices fortunæ pertulit omnes,
Sed semper constans, & Elisæ fidus. At eheu,

Ante

Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Tu rectè Corydon ad nostras rura querelas
Impellis clamore tuo: Sed totus ut orbis
Nobiscum rapti deploret Solis acerbum
Occasum, salso regnantia Numina campo
Compellare libet, luctuq; subire profundum:
Omnia nam gremio complectitur Amphitrite.
Huc ades ô Neptune pater, furcaq; tridenti
Ignauo minitare polo, qui sydere nullo
Immites Erebi, Fatiq; cöercuit iras;
Non impune ferat tantum patientia cæli
Delictum: sub aquis cogatur viuere magnus
Iuppiter, & suprà tu fati dirige leges:
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.
Huc ades O Nerei nunq̃ nisi vera canentis
Glauce senex vates; & tu Terræq; marisq;
Fili Phorce veni, Ceto comitāte marita,
Quæ seruaturum fuluo pomaria fructu
Consita serpentem peperit, mirabile monstrum:
Tuq; nouis dudùm titulis imbute Palæmon:
Et tot diuersas olìm mentite figuras,
Ad nos Carpathio vates è gurgite prodi:
Et Tethis, natuq; minor Thetys: Ilicèt omnes
Dijq; Deæq; maris, nymphæq;, Pherusa, Ligæa,
Lamprothöe, Melite, Galatæaq;, Cymothöeq;,
Nobiscum flentes totos insumite riuos.
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.

Intereà Triton stridenti marmora concha
Personet extremas præterlabentia terras,
Et rauco celebret Melibœi funera cantu,
Lugûbri cantu, quem cærula deferat unda
In varias oras Phœbo sub utroque iacentes,
Et tristi præter solitum rumore susurrans,
Innumeros voluat per inania littora planctus.
Non ità lasciui surgant delphines in altum,
Vt capiant pueros, cythara vel Arionis ipsi
Sint iterùm capti; sed abundent lumina fletu.
Et tepidum, sed syncerum nunc improba Syren
Exundet rorem, sparsos laniata capillos.
Ante diem (proh fata) diē Meliboeus obiuit.

Corydon,

Iam satis est lacrymis indultum Tityre: paulùm
Ausculta, & compone meis sermonibus ora,
Dum meliora loquar cælesti Numine doctus:
Nam mihi, nescio quo, plenum spiramine pectus
Lætitias ardet muliebria post lamenta.
Tu mecum lætare simul, quià nubila tecum
Vnanimis luxi: sit tempus vtrique serenum.
Non ita multa subest ità longi causa doloris.
Ah falsò querimur Melibæum fata subisse
Lurida, cùm diræ molis compage solutus,
Et mæstam placido commutans sydere terram,
Æternas luces oculis miratur apertis.
Ille supra cælos (quisquis fuit ille Deorum,

Qui

Qui mihi suggessit) virtuti præmia liuor
Ne raperet, vitam firmantis pocula sumpsit
Nectaris, & nostras ridet super astra querelas.
Tityre fœlici lætum Pæana canamus.
Cœlestes inter turmas, quas ordo nouenus
Diuidit, (antiquo si fas est credere vati)
Jam noster Melibœus agit: quà flammea latè
Collucent Seraphin: *Et sacro plena liquore*
Plus sapiũt Cherubin: *& quà censura potentis*
Iusta Thronos *intrans mortalia singula librat:*
Quà simul a sacro dominantia numina nomen
Officio capiunt, multum parentq; iubentq;:
Quà princeps numerus *subiectis mystica pãdit*
Ciuibus: & semper superantibus vtitur armis
Turba Potestatum: Virtutes *mira facessunt:*
Deniquè quà maiora ferens Archangelus *orbi*
Cantat, & Angelicus *qui nunciat ordo minora.*
Tityre, fœlici lætum Pæana canamus.
Cum superis Diuis diuinas incolit arces
Ambrosijs epulis pastus Melibœus: & alto
Culmine despiciens per tralucentis Olimpi
Stellas, Arcadiam vultu solatur amico.
Nos ex officio, dùm spiritus incolit astra,
Spargamus violis, & olenti corpus Acantho,
Purpureisq; rosis, casiaq;, thymoq;, & amomo:
Et merito tantum careat nè funus honore,
Ornemus velo, pulchrisq; tapetibus artus,

O præ-

O præclare, tuo dignos, Mausole, sepulchro.
Ducamus vigiles noctes ad triste cadauer,
Eulogijs plenos recitantes undiquè versus.
Tityre, fœlici lætum Pæana canamus.
Solemur Dryadem, *nimio quæ victa dolore,*
(Heu vereor) sicut quondam Philacëia coniux,
Amplexans gracilem defuncti coniugis umbram,
Expirabit amans. Hyalen solemur honoræ
Matris adhærentem lateri, iunctisq; querelis
Mollia ad immites tendentem brachia cœlos,
Brachia Sithonijs niuibus magè candida, quorũ
Astrophilus toties in vincula grata cucurrit,
Vt cingi cupidæ sinuosis vitibus ulmi.
Deniquè vexillis nigrum parmisq; ferêtrum
Condamus, furuos insignia debita pannos
Tigridis ut vultu decorent, & fronte minaci.
Tityre, fœlici lætum Pæana canamus.
Jmprimis autèm sacram conemur uterque,
Totaq; solari nobiscum rura Dianam;
Quæ caput est huius regni, quæ gloria regni;
Quæ Cybele cæli nostri, quæ nostra Sybilla;
Quæ pietatis amans; placidæ quæ pacis amica;
Quæ genus & proauos proprijs virtutibus ornat;
Quæ varijs loquitur linguis; quæ vatibus ipsa
Jndulget vates, & doctis doctior ipsa;
Quæ Iunonis habet gestum, moresq; Mineruæ,
Et veneris formam; quæ, sit licèt innuba virgo,
Exuperat

Exuperat reges, quantum querceta myricas.
Sed quid eam refero, quæ nostro carmine maior,
Est cantanda tuo dulcis Spencere cothurno,
Cuius inest numeris Hiblæi copia mellis.
Tu quoq; nobiscum (quoniam tu noster Apollo)
Lugentem solare Deam, quoties Melibæi
Tristia lacrymulis preciosis funera deflet.
Dic illi (tu namque potes fœlice camæna)
Arcadas innumeros, quanq̃ Melibœus obiuit,
Præstantes superesse viros, similes Meliboei.
Damœtam memora, quo non præclarior alter,
Non quisq̃ ingenio melior, non promptior ore,
Non grauior vultu, nec ad arma paratior extat:
Ille est Damætas, qui iuris corrigit iram,
Quē vocat Hattonum Triuię venerabile Numen.
Damonem memora, qui Nestora pluribus annis
Consilioq; refert nunq̃ nisi vera monenti:
Nam quod erat magno maturus Nestor Atridæ,
Qui patrem patriæ multis Aiacibus vnum
Prætulit, id nostræ Damon longæuus Elisæ:
Regales gazas rectos conseruat in usus
Damon, Cæcilium quem diximus Arcades olim.
Ægonem memora, vicinas lintribus undas
Qui tegit, & validi Neptuni munere fungens,
Ingentes nostro profligat littore phocas:
Howardum veteres sæclo dixere priori.
Deniq; tu Mopsum, tu Daphnim, tu Alphesibæū,

Syluanum, Faustum, & sapientē multa Menalcā,
Et reliquos numera pastores, quotquot Elisam
Pectore syncero, nullam passisq́; quietem
Luminibus, vigiles auido tutantur ab hoste.
Ambrosios illi sistent hæc nomina fletus.

Tityrus.

Quales Oebalij faustissima lumina fratres,
Exhaustos pelagi rabie, pulsuq́; frementûm
Æolidûm, grato tranquillant sydere nautas,
Dum ponunt venti, pluuiæ ceduntq́; tenêbræ:
Sic tuus ô tandem (Corydon) peramabilis aures
Sermo meas mulcens, exêmit pectore curam,
Et lacrymas oculis, & acerbas ore querelas.
Eccè sed adueniens suadet discedere vesper:
Ire domum libeat, pecudesq́; includere septis.
Discam paulatim rigidos dediscere luctus.



